בע״ה

DISSERTATIO.

De

Ebrææ S. S. Lingvæ,

nec non Orientalium reliqq. ex parte, Origine, antiqvitate, progresſione, incremento, fortunà varià & cultu: item Cultoribus, Vindicibus & D D. earundem Literarum potisſimis usq; ad hæc tempora, &c.

Orationis Inauguralis, qvod dicitur, habita loco, ante hos XXIV. & qvod ſuprà eſt annos,

ab

ANDREA SENNERTO,
Profesſ. Publ. in Academ. VVitteberg.

Præmittitur Programmatûm item P. P.

EDITIO TERTIA.

WITTEBERGÆ,
Typis & ſumptibus JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typographi.
cIↄ Iↄc. LXV.

DEO,

JEHOVA ELOHIM,

UNI, TRINO,

MAXIMO, OPTIMO,

SACRUM.

בִּזְ״נָ

PROGRAMMA

P. P.

EQvidem profectò Lingva S. Ebræa cum cæteris Orientalibus fere, Chaldæâ, Syrâ & Arabicâ præſertim, ex lingvarum ſunt, ad qvas ſi reliqvas in univerſum omnes paululùm conferas (qvarum alii VII, Cardinales, (a) alii XII, (b) alii LXII, (c) LXXV. (d) LXXVII. (e) CXXX, (f) CCC, (g) paſſim numerant) hæ facilè illis ſuâ ſponte cedunt victricibus, illæ verò in qvo ab his vincantur, & qvod acceptum iisdem referant, parum vel nihil deniq; habent. Sanè Latina lingva qvidem, utut regio qvodam induta ornatu incedit, gravis, generoſa, & majeſtatem qvandam præ ſe ferens, numinis cujusdam terreni inſtar, & qvæ pondere dignitateq; ſuâ qvadam orationis & ſplendore facilè antecellit reliqvas: & Græcanicæ item literæ etſi & hæ qvoq; copiâ & ubertate dicendi admirabili & ſummâ, ac lepore & affabilitate rarâ, vicisſim anteſtant hanc Romanam, aliasq; (de cæteris ut hac vice nihil dicam) tamen ſi Ebrææ S.S. & reliqvarum Orientalium etiam (partem) non tantùm illa veneranda Antiqvitas, & Sanctitas, dignitasq; & latitudo, ſed & pondus Orationis iisdem congenitum, & amabilitas ſpectetur, omninò facili negotio illas vincunt, atqve multis poſt ſe paraſangis relinqvunt. Etenim certè Antiqvitatem Eberinæ modò ſi paucis intueâre primùm, & qvæ verò illâ veterior eſt? Utpote qvæ non Evandrum qvempiam, aut Anchiſen grandævum autorem ſuum agnoſcit; aut cum Nannaco atqve

(a) *Raph. Volaterr. urb. comment. lib. 33.*
(b) *Poſtellus de 12. lingg.*
(c) *Clemens Alexandr.*
(d) *Euphorus ap. eundem.*
(e) *Bibliand. de rat. comm. omnium ling.*
(f) *Plinius nat. hiſt. lib. 6. cap. 5.*
(g) *Timoſthen. ap. eundem.*

Aboriginibus tautùm, nec ultrà, loqvi norit: ſed annales ſuos à primâ origine mundi, hominéq; primo, immò Conditore ejus atqve totius hujus Univerſi legit. Utiqve riſu ut meritò dignus ſit Johannes Goropius Becanus (*h*) qvi Belgicæ lingvæ (qvam alii Cimmeriam qvoq; dicunt) hanc, antiqvitatis, laudem defert, neſcio qvibus motus conſutis contortisq; frigidis ratiunculis, ex etymologiis nominum Patriarchis impoſitorum deſumptis: nec non Pſammetichus, Ægypti rex. cujus meminit Herodotus Halicarnasſeus (*i*) qvi ex unâ voce infantilis vagitûs, qvæ Beccos erat vel Bec, & Phrygum lingvâ Panem ſignificat, qvem ſubinde ingeminando in hunc modum vagientes pueri naturali qvodam inſtinctu efflagitarent, Phrygum lingvam omnium esſe antiqvisſimam adverſus Ægyptios ſtatueabat & dijudicabat: itemq; Salicæus Archiepiſcopus Toletanus, qvi Gothicas literas omnium primas esſe voluit. Porrò verò Sanctitatem ejus ſi ſpectes, à DEO, omnis puritatis fonte, ut modò ſuprà dictum, natales ſuos petit. Aut certè idem Creator ſanctisſimus lingvâ hac uſus eſt, qvotiescunq; deſcendens æqvabiliter generi humano pro more aſſumpto ſermone colloqvium cum eo inſtituebat. Atq; τὰ Λόγια τῦ Θεῦ in hac lingvâ maximè primis Patribus tradita & concredita ſunt. Ex qvo לְשׁוֹן קֹדֶשׁ vulgò, & שָׂפָה בְרוּרָה (*k*) id eſt, labium electum ſive purum à Spiritu S. ipſo indigitatur. Deniq; Latitudinem ejus ſi etiam conſideremus, Ingens gloria & felicitas ejus præ cæteris lingvis in eo qvoqve non parum ſita eſt, ut verbis utar B. Förſteri, (*l*) qvod ab aliis lingvis hæc nihil mendicet aut mutuetur, aliæ verò ab hâc multa mutuentur; ſic

(h) *in Hermathenâ.*

(i) *in Euterpe.*

Theodoretus Q. 59. in Gen. ſtatuit ling. Syriacam: ſed perperam.

(k) *Soph. 3. v. 9. v. Pet. Galatin. de arc. cath. ver. lib. 12. c. 3.*

(l) *in præfat. Lexici Ebr.*

ſicut exemplis innumeris ab aliis *(m)* ſæpiùs id factum clarius eſt, nec loci hujus odioſè ſingula repetere: atqve cum filiabus & cognatis totum Orientis tractum, Aſiam, Africam, itemq; reſiduum Orbem maximam partem occupet & adſpergat: id qvod certò de lingvâ Agarenâ ſive Arabicâ veriſſimum eſt: qvam ſi qvis callet (verba ſunt Gvilielm. Poſtelli *(n)* verſatiſſimi in his regionibus & lingvis) valebit is ſine interprete converſari cum Mauro, Ægyptio, Syro, Perſâ, Turcho, Tartaro, Indo; & ut ſemel dicam, fere in toto terrarum Orbe. Scilicet, qvæ latiùs patet hodiè, qvàm ulla unqvam lingva, ut vix tertia pars habitati Orbis eam non agnoſcat: & prætereà Ebraicæ lingvæ adeò affinis eſt, ut ſi qvis diligenter verſatus ſit in Ebraiſmo, poſſit pauciſſimo temporis ſpatio bonam partem illius lingvæ intelligere. Hæc Poſtellus.

(m) v. Bibl. and. de rat. c. omn lingg. Avenar. in Lex. &c.

(n) in Grammat. Arabica edit. Paris.

Hiſce itaq; Literis omninò inſtructum oportet eſſe eum (aut ſi informatus utcunq; ſit, in reliqvis artibus & literis qvibusvis feliciore multò ſucceſſu perget) qvicunq; ad altiora adſpirat, ac libido cui eſt eum obtinere montis tractum, qvem pauci. His informatus qvalitercunq; erit Philoſophus, & Mathematicus imprimis, qvi Averroëm, Albategnium, Albumaſarem, ſimilesq; Scriptores alios in lingvâ ſuâ nativâ legent, vel qvid ſit Aux, Zenith, Nadir, Hegira, Algebra, Almanach &c. ex originibus ſuis & mathematicis principiis DD. priſcorum Arabicorum explicabunt. His inſtructus mediocriter debebat eſſe Medicus, qvi, niſi Arabicæ præſertim lingvæ gnarus ſit, cùm præter loca mendoſa innumera & depravata ob varietatem Verſionum, *(o)* Avicennæ, Razis, Meſuis, Gebri, Serapionis aliorumq; vulgaria ſaltem

(o) P. Kirſten. in præfat. lib. 2. Canon. Avicennæ.

 illa,

illa, qvid ſit rob, julebus, ſyrupus, ribes, balſamus, lohoh, alcot, kali, keſthuf, kitat, zatran, alkekengi, altochme, althcben, altarbel, alſaſch, alhagiazi, allenjacli, alcohol, alhandel & ſexcenta alia, interpretaturus eſt, meræ ipſi erunt tenebræ, utcunq; etiam Verſiones (ut nimirum ſunt) elaboratiſſimas idem ad manus habeat & in iis deſudet. Theologo verò adeo hæ lingvæ omnes necesſariæ ſunt, ut citiùs extra noxam alterutro oculo carere is posſit, qvàm ut in re maximi ſanè momenti alienis oculis videre mavelit. Atqve hoc non tàm ob multiplices paraphraſes Bibliorum ſuperioribus multis retrò ſeculis in his lingvis conſcriptas, nec nauci omnino ab Eccleſiis Chriſtianis pasſim omnibus temporibus factas; itemq; pericopas integras, & vocabula plura (*p*) è cæteris Orientalibus lingvis textus Sacri avthentici juxtim inſititia: ut de פרישים ſeu תוספות id eſt, Commentariis Rabbinorum nihil qvicqvam hic dicam, qvorum utiqve lectio non poteſt planè negligi ab eo, cui ſi qvando continget cum Judæis deſcendere in arenam: qvam imprimis ob fontes, ſive Veterem Canonem fœderis θεοπνεύϛυ; qvem nefas ſit Theologo legere non, niſi certis qvibusdam temporibus, in originali lingvâ: ipſis etiam non disſentientibus ſuper hac re, qvi ex adverſo nobis aliàs ſunt Pontificiis (*q*) hominibus.

Ac tales E. qvicunq; nunc ſunt Theologi, Medici, Philoſophi (abſit dicto hoſtilitas, in Idearum ſiqvidem regione hic verſamur) horum ſcientia tam perfecta, omnibus numeris abſoluta, varia & multiplex, qvin amœna & perpulchra eſt, ut nullius boni cenſuram, nec liyidi cujuscunqve raorſus, vana convicia & injurias facilè

(p) *Angelus Caninius de locis obſcur. N.T. & Jun. Præfat. ad Ebr. N.T.*

(q) *v. Jur. Canon. c. Jejunium diſt. 76. c. ut cæterorum diſt. 9. Ben. Arias Montanus præf. Oper. Bibl.*

facilè formidet. Qvanqvam qvantum, qvæſo, eſt, qvod neſcimus! & qvoto, ſodes, cuiqve hac in parte qvoqve datum eſt Corinthum navigare! potiusqve optanda multis votis, hac præſertim ætate, talis perfectio eſt, qvàm ſveranda in hac fragilis vitæ & in ſingulas horas finiendæ mox brevitate. כִּי הַיּוֹם קָצֵר וְהַמְּלָאכָה מְרֻבָּה׃ Nam Dies brevis eſt, Opus verò multum, atteſtantibus vel Ebræorum etiam Sapientibus.

L. Vives in comm. ſup. Aug. de C. D. lib. 14. c. 8. 11. 13. Emſinus, &c

Cæterum ut in ſingulis tamen Ordinibus Literatorum, imprimis verò in S.S. Theologiâ esſent qvidam, & pauci nihilominus adeò prodire posſent, qvi juventur harum Literarum ſtudio & cognitione qvalicunqve, jam olim ſapientisſimis conſiliis & autoritate Majorum ordinatum eſt, ut esſent in Academiis ſingulis, qvi has profiterentur publicè. Qvò imprimis pertinet etiam Decretum illud Concilii Viennenſis (r) tempore Henrici VII. Imperatoris & Clementis V. Pontificis R. circa annum Chriſti cIↄ CCCXI. in Galliis habiti, qvo ſancitum eſt: ut in Academiis Romanâ, Pariſienſi, Oxonienſi, Bononienſi & Salamantinâ, in ſingulis ſint duo Profesſores lingvæ Ebraicæ, Arabicæ & Chaldaicæ, qvi Scholas inibi regant, & libros de lingvis his in Latinum ſermonem fideliter tsansferant, alios lingvas iſtas ſolicitè doceant, earumqve peritiam ſtudioſâ in illos inſtructione transfundant; ut inſtructi & edocti ſic ſufficienter in lingvis hujusmodi fructum ſperatum, DEO autore, producere posſint, fidemqve propagare ſalubriter in ipſos etiam populos infideles. Hactenus verba Clementinæ. Ex qvo factum etiam procul dubio omni eſt, qvod ſuperioribus temporibus, ab exordio nimirum inde hujus Acaeemiæ, (qvàm primùm. inſtante arduò

(r) v. Jur. Canon. Clement. l. 5. de magiſtris tit. I. c. inter ſollicitudines. conf. & v. decreta Synodd. provincial. Ord. Friſio-Holland. ap. Sixt. Amama Anti-Barb. Bib. lib. 1. err. gen. 4. p. m. 239. ſeqq.

illo reformationis opere per D. Lutherum, mirabili DEI conſilio, Lingvarum item ſtudia ſimul in Germaniâ reflorescere inciperent) usqve huc, Voluntate ſummâ ac Juſſu Sereniſſimorum & Potentiſſimorum Saxoniæ Ducum & Electorum, Fundatorum ac Nutritorum munificentiſſimorum Academiæ hujus, autoritate publicâ publicè privatimqve lingvas has docuerint multi Viri Summi & incomparabiles, longâ ſuâ ſerie ſibi invicem ſuccedentes; primùm Johannes Reuchlinus, vulgò Capnio dictus, U. J. D. Comes Palatinus Cæſareus, nec non poſtea Maximiliani I. Imperatoris & Eberhardi primi Wirtembergenſis Ducis Conſiliarius, & totius Sveviæ triumvir, hinc Johannes Förſterus, S.S. Theol. D. Matthias Flacius, Illyricus, Paulus Eberus, Citingenſis, Henricus Mollerus, Hamburgenſis, Matthæus Biochingerus, Wittebergenſis, Valentinus Schindlerus, Oderanus, poſtea in Academiâ Juliâ earundem literarum qvoq; Prof. Publ. Laurentius Fabricius, Dantiſcanus (Βεϱβσυτὴς & Præceptor noſter ז״ל) Martinus Troſtius, Huxar. μεθοδικώτατος, ה״ה ז״ל Dn. D. Jacobus Wellerus, Eccleſiarum Brunſvvicenſium nunc Coadjutor, Collega qvondam, fautor & amicus pl. honorandus. De qvorum inſigni eruditione, fide, & diligentiâ in excolendis his literis teſtantur adhuc exqviſitiſſima eorundem Scripta, qvæ nos jure meritoqve exoſculamur adhuc, ac ſeræ maximè poſteritati ea commendamus.

Nec non prætermittendus fortè hic Matthæus Aurogallus, item: Joh. Avenarius, Egranus. Wolf. Frantzius Theol. D. & Prof. Ebrææ l. interpres feliciſſimus obiit 1626. d. 26. Octobr.

Hæc igitur Provincia, cùm ב״א auſpiciis Sereniſſimi & Potentiſſimi Saxoniæ Principis Ducis & Electoris Dn. JOHANNIS GEORGII, &c. Domini noſtri Clementiſſimi, ſuperioribus jam menſibus mihi com-

commendata, atq; cum extraordinariâ hactenus Statione Ordinaria clementisſimè commutata nunc ſit, cui præesſe hucusqve per alterius cujusdam muneris publici rationem commodè non licuit, futurum eſt, ut, Bono cum DEO, proximis diebus pedem in eâ promoveam; & qvidem exordio deducto denuò, vi Satutorum, à ſuccinctâ generaliorum ſelectiorumqve Grammaticæ Ebrææ Capitum declaratione, qvam mox poſtea excipiet Libri cujusdam Biblici, primùm facilioris, deinde verò difficilioris ſecundùm Capita hæc expoſitio grammatica & philologica; donec hinc porrò ad altiora paulò, & majora ſubinde, & qvæ Criticæ non tantùm arti Ebræorum, ſive (ut mitiùs loqvar) provectioribus ſæpè probari & arridere ſolent, deflectere pedetentim nobis liceat. Videlicet enim ſperamus omninò, DEO, (hoc benedicente nobis.) Cui & Reipublicæ literariæ, ſemel remotis impedimentis aliis, ingresſi viam hanc non proletariam qvandam aut triobolarem (abſit dictis ſupercilium,) ſed maximè placentem operam in hoc Studiorum genere præſtare in animum induximus, hoſce qvalescunqve conatus & labores noſtros probatum iri: qvibus Vos, ô Amatores Cultoresq; earundem literarum, inſigni futuri eritis incitamento, ſi in eodem curriculò ſtrenuè nobiſcum anhelando qvaſi perrexeritis. Cæterùm & hoc monere omninò viſum fuit, cùm exſcribendæ typis adhuc reſtent nobis paginæ qvædam, qvarum uſus inter prælegendum erit, animus eſt per id tempus (pauco ſcilicet dierum ſpatio) enarrare grammaticè & philologicè Caput XLIX. Geneſeos, qvod temporis eſt, & ſecundùm nonnullos ſtylo

Decanatûs primi, anno ſuperiore 1640.

metrico conſcriptum, atqve clariſſimam illam prophetiam de SCHILO, שהוא מלך המשיח *qvi eſt Rex*
antiqviſſ. lib. ב"ר *Meſſius*, continet. Ac fiet qvidem initium ejus rei ad d. perend. horâ I. in loco ſolito. Tandem ne à recepto Academiæ hujus more laudabili qvoqve recedam, ad diem craſtinum horâ IX. matutinâ in Auditorio majore, *ἐπεισοδίου* loco brevem texam qvaſi Genealogiam Literaturæ Ebrææ nec non D D. ejusdem, h. e. dicam paucis de *Origine, antiqvitate, progreſſione, incremento, variâ fortunâ & cultu harum literarum:* item *Cultoribus, Vindicibus & DD. earundem, usq. ad hæc tempora.* Ad qvam meam balbutiem non eqvidem auſim invitare Patres Academiæ hujus conſcriptos, RECTOREM Magnificum, ac reliqvos ejusdem Proceres Ampliſſimos, niſi conſvetudo vetus receptaq; id mihi q. injungeret. Agite itaqve PATRES, cæteriqve Cives Academici, & benevolentiam veſtram imprimis erga antiqvum hoc ſacrumqve genus Literarum denuò declarate, & qvam aliis in audiendo, mihi qvoqve, ſi lubet, exigui temporis uſuram ne denegate, cui nihil, qvàm VOS, antiqvius ſanctiusqve colere & amare æternùm. כא לחי ואתם שלומים ובתיכם שלומים וכל אשר לכם שלומים:
P. P. Wittebergæ, Dom. 1. poſt Epiphaniam Domini, Anni clↄ Iↄc XLI.

Lingvarum Orientalium Fautoribus, Civibus omnium Ordinum honoratiſſimis, &c.
S. P. D. A. S. P. P.

DIS-

DISSERTATIO.

Præmiſſ. Præmittendis.

ATq; ut hinc mea proficiſcatur Oratio: Eqvidem primum in aprico poſitum esſe reor ego, qvod, ſicuti aliarum rerum qvarumcunqve, qvas Sol unqvam vidit circumſcribitq; indies circuitu ſuo, ſunt ſua certa qvædam initia, progresſus, incrementa & decrementa, & τεταγμέναι περίοδοι qvaſi, qvibus decurrentibus pedetentim ipſæ qvoq; inſimul fiunt, naſcuntur, creſcunt atq; decreſcunt, & ſic deinceps: qvemadmodum etiam ſapientisſimus regum, Selomon, divino oraculo ita judicatus, in hanc rem, qvàndo: לכל זמן ועת לכל חפץ תחת השמים *Omnibus tempus ſuum determinatum, & omni voluntati tempus ſuum ſub cœlo*: ita inqvam, etiam Literaturæ Ebrææ præſertim ſua ſint certa qvædam inciſa q. termini atqve intervalla, fatalesq; progresſiones & mutationes.

Enimverò ut διαδοχὰς illas ſive notabiliores ſucceſſiones mutationesq; melioris lucis & ordinis ergò certis ſuis qvibusdam Ætatibus qvaſi, limitibus tanqvam ſuis, deſcribamus & coerceamus: IV. imprimis earundem numerare liceat nobis. Qvarum Prima incipit cum condito hoc Univerſo (hac enim originem habet ſibi ſuam hæc Lingva, hos agnoſcit natales annoſa, veneranda reliqvarum divesq; mater) atq; procedit ad Γλωσσοσύγχυσιν illam communem, ſive confuſionem lingvarum in Babylone factam. Altera progreditur à confuſione dicta Babylonicâ, usq; ad deportationem utramq; regnorum Iſraëlis & Judæ in captivitatem Asſyriacam *Ætates IV. LL. Ebr. & Orr. reliqq.*

 & Ba-

& Babylonicam. Tertia protenditur à captivitate modò notatâ Asſyriacâ & Babylonicâ usq; ad natum Chriſtum, mundi Servatorem, ſive potiùs excidium Urbis Jeroſolymæ politiæq; Judaicæ. Qvarta deniq; & ultima ab excidio Jeroſolymitano usq; ad hæc noſtra tempora. Circa qvæ inciſa ſingula inſignem qvandam mutationem nec non cladem literatura Ebræa pasſa atq; perpesſa eſt.

Ætas I. Cæterùm anteqvam ad Primæ ætatis (qvam *Infantiam* ſive *Adoleſcentiam* non incommodè dixerimus) annos indelibatos accesſum faciamus, de uno atq; altero, in limine ejus, ſive qvod dicam potiùs, circa ejusdem ortum ac nativitatem, qvodq; obverti à qvoqvam nobis posſet, deſpiciemus primùm. Atq; reperti qvidem fuerunt non tantùm priſcis illis, ſed etiam his noſtris temporibus, licet pauci iidem, qvidam tamen, qvi ne antiqvitati Lingvæ noſtræ, qvâ de princeps ſermo nobis, nempe S. Ebrææ, asſurgerent, ſed qvantum in ipſis detraherent potiùs, aliud atqve aliud excogitarunt & in medium protulerunt. Ac primùm qvidem Diodorus Siculus & Victruvius (an alii etiam præter hoſce perinde, ſit) in eâ fuerunt ſententiâ: hominibus primitùs à primâ ſui origine, negatum fuisſe uſum Sermonis ſive, Orationis atq; nutibus tantùm inconditisq; ſonis belluarum in morem mutuò aperuisſe animi cogitationes. De qvo Diodorus: *qvùm ſonus oris confuſus eſſet, paulatim vocem diſcrevisſe ajunt, & res omnes ſuo proprio nomine appellasſe.* Victruvius verò lib. II. ab init. *In hominum congresſu, cùm profundebantur aliter è ſpiritu voces, qvotidianâ conſvetudine vocabula, ut obtigerant, conſtituerunt: deinde ſignificando res ſæpiùs in uſu, ex eventu fari fortuitò ceperunt, & ita ſermones inter ſe procreaverunt.*

verunt.

runt. Ad verò, præter id, qvod Scriptura S. diſertè contrarium ac diverſum ab eo affirmat, hominemqve primum ipſum mox cum DEO Conditore ſuo, atqve hinc adjutorio, compare, colloqventem ſæpiuſculè introducit: ecqvis eſt, qvæſo, qvi parumper uſus ratione ſuâ hæc atqve talia cum Diodoro atqve altero & ipſo Victruvio Pollione affirmare velit: hominem nimirum, ſanctum illud animal, & qvod (vel ſecundùm Philoſophum, ethnicum ipſum) ſolum inter cætera animantia divinitatis particeps, ac ratione præditum eſt, Oratione deſtitutum tamen fuiſſe? Aut qvis eſt, qvi credat, ſapientisſimum, eundemqve optimum maximum rerum Opificem, qvi hominem ad abſolutum ſimulacrum & imaginem ſuam creavit, ac qvi cætera dedit, & qvàm liberalisſimè de ſuo largitus eſt omnia, non etiam ſermonem ipſi indidiſſe; atq; adeò divinæ mentis, per Verbum conſubſtantiale ab æterno ſeſe gignentis, imaginem in eo minimè expresſiſſe? Aut, qvi hominem ad ſocietatem & benevolentiam mutuam produxit, ratione eum dotasſe qvidem, Orationem verò ſive facultatem organumqve illius, rationis, explicandæ ei denegasſe? Aut qvomodo, qvæſo, ſi elingves principiò & muti homines creati fuerunt, qvomodo, inqvam, muta & elingvia animalia de conſignandis omnibus rebus per verba & voces poſtliminiò inter ſeſe paciſci & convenire potuerunt? Vel fortuitò & ex nudo uſu aut conſvetudine fari cœpiſſe? ἄλογον, immò ἀτοπῶς. Fuit ergò omninò hominibus primitùs concesſum atqve naturaliter inditum, ut qvod ſenſibus externis perciperent, qvod phantaſia diſtingveret atqve examinaret, ratio dijudicaret, memoria conſervaret ſubminiſtraretqve ſuo tempore & loco vicis-

ſim, adeoq; iidem mente agitarent, idem Oratione ſive ſermone palàm proferre, explicare & communicare invicem poſſent.

Porrò non defuerunt qvoq; alii, qvi licet facultatem loqvendi qvidem hominibus primis non denegaverunt, negavêre tamen, unicum fuiſſe in primis mundi temporibus ſermonem: aſſerto potiùs diſtinctas diverſasq; extitiſſe ante extructam Babel lingvas dialectosqve. E qvorum numero, præter ſuprà adductum Diodorum Siculum, facilè primus nominandus eſt Philaſtrius. Præter enim id, qvod modô dictus Diodorus facultatem loqvendi primis hominibus planè detrahit, ut ante modò dò percepimus, addit inſuper: *Verùm cùm diverſis poſtea ſiti eſſent in orbis locis, non iisdem uſos verbis ferunt, & propterea etiam diverſos literarum characteres extitiſſe.* Hic verò Philaſtrius, Brixenſis Epiſc. in de hæreſibus cap. CVI. (ipſe interim ſic in eo, ut ſic dicam, bonus hæreticus) hæreticum planè pronunciat & contendit eſſe eum, *qvi unicam tantùm extitiſſe lingvam ante extructam Babel illam dixerit.* Enim certè verò ô inſignem atq; omnimodam ſive ignorantiam textûs veritatisqve antiqviſſimæ Moſaicæ, ſive inverſionem ipſiſſimam claræ phraſeos S. Sæ, qvæ expreſsè ſatis qvidem affirmat: *Terram omnem fuiſſe labii unius & verborum eorundem.* Verba avthentica divini amanuenſis, ὁ ἀρχιγένεθλος καὶ μεγας Φίλος ὑψίστου, Moſis nimir. ſub initium librorum ſuorum (c. XI.) hæc ſunt. ויהי כל הארץ שפה אחת ודברים אחדים *& erat terra omnis labium unum & verba una.* Qvibus ſanè nihil planius, clarius nihil eſt. Sed & non Moſes tantùm, verùm etiam Sibyllarum & Abydeni hiſtoriæ antiqviſſimæ idem planè per omnia teſtantur,

atteſtantibus vicisſim Joſepho *antiq ſuarum lib. I. cap. 6.* atq; Euſebio, *oper. ſub tit. præpar. evang.* dignis ſatis, in hoc præſertim tertio, qvod dicam, præ illis ſuperioribus, fide auctoribus. Qvi omnes, ſinguli fere inſuper unanimi q. conſenſu cauſas etiam adferunt & inculcant miſeræ illius unius in plures lingvas transfuſionis & confuſionis, nempe faſtum, temerarium impiumq; illud facinus eorum, qvi Urbem & turrim Babel in campo Sinaar contra conſilium imperiumqve DEI moliti ſunt. Ac ſanè, ſi ratio una eademq; eſt in hominibus, eadem ipſa ne qvæſo velle videtur item, qvod Oratio omnibus una qvoq; ſit naturâ? & ſicuti peculiaris ſua cuiq; omni generi animantum vox nativa obtigit, ita procul dubio omni unica hominibus lingva divinitùs data etiam concesſaq; eſt. Deniq; ut & hoc addamus ſaltim adhuc, congruit idem qvoqve qvàm maximè ſocietati illi arctisſimæ & opi mutuæ, qvam DEUS Creator inter homines ultrò citroq; conferri voluit, ut una nempe esſet primitùs ac naturâ, non verò plures diſtinctæq; lingvæ, qvarum diverſitate divortium ſcil. potiùs fieri oporteat inter homines, qvàm ſocietas mutua. Alia ut taceamus atq; plura, qvæ ſingula ſatis qvidem evincere posſent, unicam omninò primitùs hominibus obtigisſe divinitùs lingam, minimè verò plures diſtinctasqve.

Qvibus, inqvam, ſic præmisſis, de veritate ſive exiſtentia, atq; unitate Sermonis alicujus, qvicunq; is nunc fuerit, in primis mundi temporibus: porrò ad id jam qvod res eſt accedendum, h.e. de antiqvitate Sermonis hujus, & præſertim qvinam fuerit is ille, dicendum nunc eſt. Atqve jam illam reverâ primitùs cum homine primo exiſtentem, & unam ſolam eandem, qvæ ſicuti cum protoplaſtis

plaſtis cœpit, ita unicè adeò & ſola antiqviſſima eſt, nullam eſſe aliam lingvam, qvàm Ebræam ſive Eberinam, poſt pauca porró probabimus, ſi prius bonâ cum pace eos dimiſerimus qvoqve, qvibus diverſum à communi receptaqve, adeoq; etiam noſtrâ, ſententiâ placet. Etenim ſi lingva Ebræa, labium ſanctum illud & electum, antiqvitatis hac prærogativâ non gaudet, ad aliam, qvæcunq; illa nunc ſit, dignitas hæc referenda fuerit. Harum verò Qvatuor imprimis apud auctores hinc & inde reperire liceat, qvibus ἐξοχὴ hæc aſſignanda ſit: nimirum Phrygia, Syriaca, Gothica, atq; omnium noviſſimè in hoc honoris faſtigium evecta à qvondam Belgica, qvæ & Cimmeria à nonnullis vocatur. De Græcâ enim & Latinâ, aliis, qvi ſimile qvid huic adfirmare præſumant, neminem eqvidem, me qvod attinet, memini.

Ac primò qvidem de Pſammeticho, Ægypti rege, talem fere deſcribit hiſtoriam Herodotus Halicarnaſſeus, in Euterpe: qvod, cùm jam olim inter populos hac de re, de antiqvitate ſcil. lingvarum & gentium, ardua fuiſſet agitata qvæſtio, rex Pſammetichus, qvem inceſſit item cupido ejus rei, qvùm ſciſcitando aliâ ratione nullâ hanc inveſtigare potuiſſet, hac illam tentarit, tale ſcil. qvid machinatus. Pueros duos ex humilibus recens natos parentibus paſtori cuidam educandos tradidit, ſeveriſſimè præcipiens eidem, ne qvis audientibus illis verbum ullum loqveretur, ſed in deſertâ casâ qvadam caprarum uberibus ut nutrirentur. Cæterùm cum adeſſet jam tempus, qvo pueri fari aliàs incipiunt, bimelli vocem *beccos* ſeu *bec*, à caprarum voce mutuatam ediderunt, qvæ cùm Phrygum lingvâ *Panem* ſignificaret, atq;

audi-

audiviſſet hæc rex, Phrygiam lingvam judicavit eſſe homini naturalem & omnium antiqviſſimam. De lingvâ verò Syriacâ idem ſtatuit & ſcribit Theodoretus, Cyrenenſis Epiſcopus, *Qveſt. in Geneſ. LIX. & LX.* adſtruens illam, Syriacam, lingvam Adamo & reliqvis Patriarchis fuiſſe vernaculam, Ebræam verò in ſacris ſolummodò uſitatam & in libris reconditam. Porrò, Salicæus, Archiepiſcopus Toletanus, Gothicas literas omnium primas vetuſtiſſimasq; fuiſſe exiſtimavit. Deniq;, qvi riſu præ cæteris ſanè dignus eſt, Joh. Goropius Becanus, Philoſophus & Medicus, qvi circa annum æræ Chr. cIɔ Iɔ LXX. vixit, in *Hermathenâ* ſuâ, qvam inſcribit ita, ex contortis qvibusdam confuſisq; nominum Patriarchis impoſitorum etymologiis & frigidis ratiunculis lingvæ Belgicæ antiqvitatis hanc laudem defert. Verum verò qvàm frigida hæc ſingula ſint, qvin qvædam horum ſatis puerilia & ridicula, nemo eſt, qvi non videt, ac ſponte ſuâ omnia haudq; difficulter concidunt, ut pluribus verbis in rem hanc opus heic minimè ſit. Cyrenenſium Epiſcopum, Theodoretum, verò in ſpecie qvod attinet, facilè idem refellitur ex hiſtoriâ fœderis icti inter Jacobum Patriarcham & ſocerum ſuum Labanum, in ejus rei nempe fidem & teſtimonium extructo acervo lapideo, cui Jacob nomen גלעד *Galed*, Laban verò יגר שרותא *Jegbar Sahadbutha* dedit: qvæ hiſtoria fuſiùs proponitur, in libro Creationis, cap. XXXI.

Nunc contrà, primævam illam, atq; omnibus hominibus, ante γλωσσοσύγχυσιν illam univerſalem, nativam lingvam fuiſſe aliam nullam, qvàm hanc noſtram (Ebræam) qvæ naturæ ipſa omnium rerum, divina-

rum ſimul & humanarum, apta nomina, veluti publicas notas, impreſſit, impreſſaſq; in iisdem retrò hinc multis ſeculis recondidit intimè reliqvitq;, non obſcuris [illegible] idem argumentis, ſi ſeqvamur veſtigia aliarum lingvarum paullò accuratiùs, dumq; cernimus ſatis clarè qvomodo eadem in ipſis reperire liceat abundè. Qvid de re [illegible] S. Hieronymus in Soph. cap.III. *Ebræa*, inqvit, *lingva, ut cæteris omnibus prior ac vetuſtior eſt, ita lingvarum omnium mater exiſtit, omnibus admiſta & qvaſi interſperſa eſt, ut nulla gens ſit, nulla lingva tam barbara, tamq; procul remota ab Hebræa conſvetudine, qvæ non materna aliqva vocabula, h.e. Hebræa ſive integra ſive corrupta retineat.* Hæc Hieronymus, Stridonenſis ille. Etenim qvid Græcorum qvidem, Latinorum & Germanorum tantùm (ut ex mille infinitiſq; exemplis unum atq; alterum modò heic adferam) qvid, inqvam, protritæ, communes & notiſſimæ illæ eorundem voculæ ſeu perſonalia vocabula: ἐγώ, *ego*, ich/ niſi Ebræorum אנכי? τὺ vel σὺ Græcum, *tu* Latinum, du German. qvàm Ebræorum אתה vel [illegible] ὗ & ἑ, ἡ, *hæc, ea*, ſic tertiæ perſonæ (aſpiratione pro more Germanorum versâ in ſibilum) qvàm Ebr. היא & הוא? Qvid communiſſimi illi ſatiſq; item protriti articuli [illegible] Italorum, Gallorum Hiſpanorumq; [illegible] *li, el, loy, les, los, ils, elle* & *elles*, qvàm notiſſimus Arab. articulus אל *al?* Qvid nomina hæc: Græcum ταῦρος, Latinum *taurus*, German. Stier/ qvàm Ebræorum שור & Chald. תור Arabumq; תור? German.: Wein/ Latine *vinum*, Græc: οἶνος, niſi Ebr. יין? Σάκκος, *ſaccus*, Sack/ qvàm שק? Κάμηλος, *camelus*, Kamel/ niſi גמל? Immo ſuperius Phrygum, βέκκος, *beccos*, vel [illegible] niſi

Ebr.

Ebr. בָּר *cibus?* unde tùm poſtea German. ein Beck vel Weck / item Græc. Φάγω &c. Qvid verba hæc: *μίσγω* Græcum, *miſceo* Latinum, miſchen Germ. qvàm Ebr. מָסַךְ? σφάλλω, *fallo*, fallen / qvàm Ebr. נָבַל vel נָפַל? *πυρέω* Græcum,& German: börnen/ feuren niſi Ebr. בָּעַר *exarſit?* Et qvæ ſexcenta hujus generis esſent alia, qvæ tædioſum esſet nimis ſingula heic loci velle adſcribere, aut recenſere. Porrò,de *Terrâ* interim ac præſertim, & in ſpecie, atq; elemento *Ignis* Beroſus,antiqvisſimus ſcriptor, non obſcurè teſtatur, *Terram* ante diluvium univerſale vocatam fuisſe אֶרֶץ & *Ignem* אֵשׁ, qvibus nominibus in hunc usq; diem Ebraicè qvoq; vocantur. Imprimis verò nomenclaturæ primorum parentum, Adami, Chavæ, Kain, Abel,Sethi,Noæ, Pelegi, aliorumq; ; item populorum & gentium, ipſorumq; etiam brutorum, fluviorum aliarumq; rerum *ὀνοματολογίαι* ſatis clarè hac de re teſtantur. Ut alia venerandæ antiqvitatis (ſi auctoritatibus ſtare pugnareq; vellemus) ac ſcripti impr. Verbi DEI ipſius teſtimonia de induſtriâ heic prætereamus.

Enimverò porrò,non tantùm in ſeſe & qvoad ſermonem nudè, ſed etiam in ſignis externis ſive elementis primis, & qvidem principiò in Literis ſuis vel characteribus ipſis, omnium antiqvisſimum esſe ſermonem hunc, de qvo verba nobis heic & nunc, præthereà apud pleroſq; indubium eſt: usq; adeò etiam, ut Ebræi veteres figuras ſuarum literarum (ſicuti hodie nimir. adhuc etiam iisdem Biblia ſacra conſignata nobis ſunt) in cœlo, ſyderum poſitu & concinno ordine ſuo, homini primo monſtratas esſe ſignificatasq; asſerant (qvemad-

modum & Græci de Deltoton ſuo gloriantur idem) atq; ſic iidem originem illarum ad divinam cœleſtemq; referunt naturam: non ſecùs atq; Pythagoras item in communi de literarum omnium Alphabeti inventione primâ ſimile qvid ſtatuit. Ac licet qvidem reperiantur nonnulli, & imprimis Rob. Cardinalis Bellarminus, aliiq; pauci, nec non ante hoſce aliqvantò præſtantior Hieronymus (conf. ejusd. prolog. galeat.) qvi Samaritanis ςοιχείοις antiqvitatis hanc laudem deferunt: attamen monſtriferæ hæ literarum Samaritanarum effigies contrarium propè innuunt ſubdocentq; , atq; monſtri illa elementorum dictorum non levem videntur inferre injuriam ſapientiſſimo ſimpliciſſimoq; DEI digito, bis Legem ſuam tabulis lapideis certo genere characterum inſcribenti, qvam dein Moſes in libros ſuos iisdem apicibus procul dubio omni inſerere jusſus eſt. Qvin, imò Characteres iidem Samaritani ortus ſui principium non obſcurè videntur agnoſcere partim literaram Ebræam, partim verò Syriacam utramq; majorem nempe & minorem, virgulis nimirum qvibusdam aut apicibus pro re natâ hinc & inde interdum vel additis, vel longiùs extenſis, inciſis, inverſis, abſciſſis, vel literis etiam alphabeti planè transpoſitis, ſicut ex inſpectione elementorum dictarum harum lingvarum ad oculum liqvet.

Deniq; in ſingulis etiam apicibus, ac Punctis præſertim vocalibus, vetuſtisſimam eſſe hanc lingvam (ſinè enim parùm aliàs ſit probasſe cætera, niſi hoc etiam oſtenderimus) manifeſtum fiet ex ſeqventibus, quæ παρεμβλήδην heic (ut ne cancellos fortè dicendorum tranſ-

alte-

ſilemus) proferemus. Pone enim atq; finge, heus, qvicunq; es bone, Maſoretharum, (qvicunq; illi jam fuerint etiam) inventum eſſe puncta vocalia & accentus, qvæ evidentiæ majorisq; certitudinis ergò deinceps ab iisdem ac qvaſi de ſuperfluo addita ſint: atq; illicò perfectio hujus lingvæ, qvæ præ cæteris eidem debetur, concidet, qvàm primùm nempe puncta præſertim vocalia, qvæ aliud nihil ſunt, niſi anima lectionis, conſonis detraxeris: atq; actutùm Scriptura S. obſcurabitur, incerta reddetur, divinationibus exponetur, hoſtibus depravanda tradetur, traditionibus mancipabitur, veneranda & pia Judæorum antiqvitas aut ignorantiæ aut invidiæ accuſabitur, animæ hominum dubitationibus immergentur, omnes deniq; lingvæ aliæ, etiam infimi generis & poſt hanc noſtram ortæ prognatæq;, qvæcunq; illæ fuerint, Ebrææ matri noſtræ venerandæ præferentur: qvicqvid etiam illud ſit, qvod de συναφεία textûs, collatione antecedentium & conſeqventium, totiusq; adeò contextûs, haud eqvidem levi aliàs medio interpretandi & intelligendi Scripturas S. à qvibusdam velit prætendi inq; medium proferri. Cæteris aliisq; probandi rationibus ut hac vice adducendis ſuperſedeamus.

Atq; hi ergò cani ſunt ac veneranda antiqvitas labii hujus ſancti electiq;, qvo cum ſi certare fortasſe qvæ alia lingva posſit, in apricum eadem nunc prodeat. Sed videmus nullam, nulla qva mundi hæc ampla patet machina & dies diei nox noctiq; loqvitur ſermonem uſpiam apparet: ſed omnes conclamant potiùs pro hac noſtra Victoriam. Ex qvâ deniq; levidenſi rudiq; argumentorum potisſimorum pro antiqvitate venerandâ

hujus lingvæ noſtræ, nudaq; eorundem prolatione, ſole meridiano clariora jam fiunt item hæc, qvæ in Cwn-ſectariorum q. morem modumq;, deq; facili & ſponte ſuâ en ſeqvuntur: Nimirum primam ergò Originem ſuam debet hæc lingva immediatè Deo, qvi homini primo eam inſpiravit qvaſi, cum ipsâ inſimul indidit anima, & qvâ Ipſe etiam uſus eſt præ cæteris, qvoties-cunq; pro more asſumpto ſermone, condeſcendens ad conditionem generis humani, colloqvium cum eo in-ſtituebat. Porrò, cœpit eadem adeò cum mundo hoc ſtatim atq; toto ſimul Univerſo. Prætereà nativa fuit & communis primis parentibus eorundemq; polleris. Unica item, minimeq; multiformis, utpote qvâ uſi fuerunt ſucceſſivè omnes omninò homines à condito mundo usq; ad confuſionem illam univerſalem tempore Babylonis exædificatæ. Prætereà iterumq; antiqviſſima ergò hæc eſt inter omnes alias lingvas, qvotqvot earum numerare liceat unqvam vel uſpiam. Propagata fuit porrò naturaliter in poſteros citra multum laborem aut induſtriam. Pura item & incorrupta manſit omnibus temporibus per indigitatum modo temporis ſpatium, adeoq; duos fere priores mundi millenarios. Tempore diluvii illius catholici coanguſtata interim fuit intra terminos exiguos unius familiæ atq; Noachi, octo adeoq; perſonarum numerum tantum. Deniq; poſt inundationem illam univerſalem qvoq;, ſicut antea, ita deinceps ejusdem nitoris indelibataq; puritatis permanſit, adeò, qvæq; flori primæ ætatis ſuæ conveniebat: donec deinceps deturbaretur nonnihil à priſtino ſuo ſtatu in commixtione illa univerſaliſſimâ

lingva-

lingvarum, cujus ſæpiuſculè hactenus injecta eſt mentio à nobis. Qvo de ſatis itaq; verborum hactenus, & plus fortè ſatis, qvàm par erat.

Seqvitur nunc ergò altera Ætas, qvam *Virilem* rectè dixeris, ejus Literaturæ, Originalis nempe: circa cujus crepundia primum vulnus, potiùs cladem, eandemq; inſigniorem perſenſit: qvanqvàm id qvidem non tam ipſa in ſe ſe, qvàm ratione latitudinis ſuæ maximè, vel extenſionis univerſalisſimæ, atq; id hac ratione: qvûm nimirum, uti S. paginæ perhibent, terra omnis esſet labii unius & verborum eorundem, neq; malus hominum genius & ad peccandum proclivis à nativitate ſuâ, poſt immisſam licet à Deo generi humano totiq; terrarum Orbi gravisſimam & univerſalem illam innundationem, non deſiſteret tamen à pravâ conſvetudine malè agendi, ſed antiqvùm ſuum, qvod dicitur, obtineret, adeò qvidem etiam & in tantùm, ut contrà expresſum DEI conſilium & mandatum (teſte qvidem Joſepho) manu qvaſi inſensâ iraq; Opus ſtupendum, turris nempe murorumq; Babyloniorum in campo Sinaar, miſeri homunciones molirentur, factum hinc eſt, ut inſolentia illa ac faſtus, nec non temerarium impiumq; facinus architectorum horum juſto & ſeverisſimo DEI judicio Confuſione Lingvarum mirabili, at miſerandâ deplorandaq; non ſatis, puniretur. De qvâ commixtionis ratione & modo inter alia Origenes *in Numer. lib. homil. 11.* ita, qvem qvidem nos abundare ſuo ſenſu facilè permittimus: *Diverſi*, inqvit, *angeli diverſas in hominibus operati ſunt lingvas & loqvelas: ut v. gr. unus aliqvis fuerit, qvi Babylonicam uni tunc homini impresſit lingvam, alius Ægyptia-* Ætas II.

Ægyptiacam & reliqva. Manſit autem lingva per Adam primitùs data, ut putamus, Ebræa, in eâ parte hominum, quæ non pars alicujus angeli vel principis facta eſt, ſed qvæ DEI portio permanſit. Hactenus Origenes.

Porrò qvæ verò lingvæ noviter in γλωσσοσυγχύσει illa ortæ & introductæ in ſpecie fuerint, non adeò proclive eſt determinare, cùm in Sacris hac de re nihil qvicqvam annotatum reperiamus, nec item à profanis ſcriptoribus certi aliqvid nobis heic expectandum veniat: danturq; aliàs, præter commixtionem hanc lingvarum, atq; originem earundem univerſaliſſimam, alii adhuc modi viæq; propagationis illarum diverſæ. Qva de re locus hic nobis non eſt. Cæterùm illud fortè de lingvis Orientalibus reliqvis, præſertim tribus hiſce nobiliſſimis atq; viciniſſimis Chaldæâ, Syra itemq; Arabicâ videri poterat propatulum, eas ob maximam, qvam habent cum matre Ebræâ affinitatem, ut dictum, à Semi filiis atq; nepotibus ſtatim, in aut circa vel poſt γλωσσοσυγχύσιν toties inculcatam, originem item ſumpſiſſe ſuam à matre Ebræâ. Ab Arphachſad nimir. (ut putatur vulgò, conf. teſtem Joſephum *antiq. ſuarum in h.l.*) filio Semi avoq; Eberi, Chaldæam: ab Aram, è cujus poſteritate fuit Laban, Syrus ille, ac ſocer Jacobi, Syriaca ſ. Aramæa, cujus dialecti ſecundùm nonnullos, (juxta totidem qvidem regiones terræ Aram) numerantur ſex, qvarum nobiliſſima viciſſim præ reliqvis ea, qvâ conſcriptum eſt N. Inſtrumentum Domini noſtri JEſu Ghriſti. Ab Iſmaële deniq; filio Abrahami ex Agar, Arabicam, qvæ & Agarena ideò ſive Iſmaëlitica dicitur, qvæq; latiùs patet hodie adhuc, qvàm ulla alia lingva. Qvâ de non poſſum

h.l.

h.l. temperare mihi qvin in laudem ejusd. & commendationem ſingularisſimam recitem verba Gvil. Poſtelli, verſatisſimi in lingvis nec non oris Orientis totius Viri, ita autem ille: *Nulla,* inqvit, *lingva hodie, nec usqvam olim in tot partibus Orbis locum habuit.* Et iterum: *Arabica lingva, qvæ & Punica, omnibus religionis Muhammedicæ cultoribus grammatica eſt. Qvæ latius patet hodie, qvàm ulla unqvam lingva, ut vix tertia pars habitati orbis eam non agnoſcat. Habet enim Africam totam, præter Nubianam regionem, qvæ à Præſtano tenetur* (ita vocat pretioſum vel altum Chan, qvem presbyterum Johannem vulgò nominant) *Habet Aſiam totam à noſtris litoribus per antipodes usq; ad partem occiduam noſtri hæmiſpherii. Etiam Inſulas Moluccarum, qvas ultra Americam reperit Magellanus ad Taſchaltical & Curiſtical ac Temiſtian: qvamvis præcipua pars idololatræ ſunt, præter Indos qvosdam & Narſinganos. In Europâ tenet Græciam, Macedoniam, Thraciam, Daciam, Iazyges ſeu partem Hungariæ, Serviam, Boſniam, qvæ pars eſt Pannoniæ ſuperioris. Ejus beneficio valebimus ſine interprete converſari cum Mauro, Ægyptio, Syro, Perſa, Turcho, Tartaro, Indo: & ut ſemel dicam, fere in toto terrarum orbe. Hebraicæ lingvæ adeò etiam affinis eſt, ut ſi qvis diligenter verſatus ſit in Hebraiſmo, posſit ante biennium bonam partem illius lingvæ intelligere.* Hactenus verba Poſtelli.

Cæterùm ut ad rem, adeoq; ex diverticulo hoc in viam vicisſim revertamur. Acceptâ ſic, in γλωσσοσυγχύσει toties inculcatâ deplorandaq; non ſatis, primâ clade in Ebræâ Originariaq; lingva, adeoq; contaminata hac ſuo modo vel nonnihil, (potius coarctatâ in maximas anguſtias) pura atq; indelibata nihilominus, permanſit ea-

 dem

dem in familiâ Eber (qvi tritavus fuit Patriarchæ Abra-hami, τῦ διδασκάλυ τῆς ευσεβειας καὶ πλυτευρίας, uti hunc elogio hoc exornat Svidas, ac Viri ſummæ familiaritatis divinæ, ut Tertullianus ac Juſtinus) à qvo, Ebero ſcil. extra omne dubium, ac citra, qvoad nos qvidem, controverſiam, diſcriminis ergô & qvod ad alias lingvas, Ebrææ ſeu Eberinæ cognomentum ſortita eſt tum poſteà, cùm antè ſcil. nullo eidem opus erat, qvod communis & nativa eſſet omnibus atq; ſingulis hominibus. At verò, (qvæ mens heîc eſt, ſuper hac re, S. Ambroſii, Mediolanenſis Epiſcopi,) eam ideò vocari ita, Ebræam nimirum, qvia ab Abrahâ ſive Abrahamo derivetur, ut ponatur Ebræus, pro Abræus, ſive Abrahæus: vel, qvia Ebræus notet *περάτην tranſitorem* ſeu transfluvialem, (Abrahamum absq; dubio) ab עבר qvod ſignificat, *tranſivit:* eam, inqvam, opinionem veriùs, qvàm ſententiam h.l. misſam facimus, nec valde curamus nos eandem. Multo rectius nimir. cenſet D. Aur. Auguſtinus, Hipponenſis Epiſcopus, in *de Civ. DEI libr. XVI. cap. 11* qvando: *Qvia in familia Heber remanſit hæc lingva, diviſis per alias lingvas cæteris gentibus, qvæ lingva prius humano generi non immeritò creditur fuisſe communis, ideo deinceps Hebræa eſt nuncupata.* Cum qvo idem per omnia ſtatuere videtur Eucherius, Lugdunenſis Epiſcop. *in Gen. lib. II. cap. 2.* qvando ſcribit: *Eo tempore, qvo lingvarum facta eſt varietas, in ſola domo Eber, qvæ antea fuit lingva, manſit.* Porrò, qvæ in communi uſu aliàs nominari ſolet lingva Eber ſive Eberina aut Ebræa, eadem atq; cumprimis etiam apud Scriptores S.S. aliis indigitatur nominibus & vocatur lingva *Judaica* ſeu *Iſraëlitica*, eò qvod ſucceſſivê à populo Judaico ex-

culta,

culta, conſervata, eidemq; in uſu fuit. Item: *Chananæa,* qvia ab Abrahamo, cæterisq; patriarchis, Eberi nepotibus, apud Chananæos degentibus, in poſteros propagata itemq; exculta fuit: לשון קדש *lingva ſanctitatis* vel *ſancta*, tùm qvia in ea myſteria ſalutis patribus tradita ſunt, tùm qvia DEUS ipſe eadem uſus eſt. *Labium* deniqve *electum*, (שָׂפָה בְרוּרָה) *Soph.III,9.* qvia Patriarchæ & prophetæ in ſermonibus & ſcriptis ſuis eâ uſi ſunt. Et qvæ ſunt his ſimilia alia epitheta minimè vulgaria.

Porrò jam vernacula manſit, ac pura incorruptaq; absq; ulla ſui variatione conſervata fuit in populo Iſraëlitico ab eo tempore (confuſione lingg. univerſali) usq; ad deportationem ejusdem gentis in captivitatem utramq; Asſyriacam & Babylonicam: etiam tunc cùm crudelisſimam perferret ſervitutem Ægyptiacam: cujus rei teſtis imprimis eſt Elias Levita, Aſcenaz, המדקדק cognomento, qvi tradit: *tria Iſraëlitis remanſisſe integra in Ægypto, absq; ullâ ſui mutatione, nomina ſcil. familiarum, veſtimenta & uſum Sermonis Ebræi iisdem venaculi.* Non ſecus atq; inter cæteros etiam errores atq; itinera tot vaga longaq; in peregrinis, deſertis ignotisq; locis: & poſtmodùm qvoq; in terrâ Chananæâ, per multa temporum intervalla, ſub regibus Iſraëliticis & Judaicis, atq; inter varias turbas incurſionesq; variarum gentium & lingvarum pura ac indelibata permanſit. Cuſtodibus ejus temporis (hac Ætate) atq; Vindicibus ſ. Cultoribus imprimis S.S. Patriarchis, in qvorum Scholis privatis utpote, juxtà doctrinæ pietatis exercitia alia, procul dubio ſermo hic item ſonuit. Dehinc Moſe, qvi ex mandàto divino Legem ſacram bis tabulis lapideis ſuc-

 cinctè

elinctè primùm qvidem ſatis inſcriptam, Libro ſuo poſt-modùm avthentico prolixiùs aliqvantum in hac ipſâ lingvâ eandem inſeruit: nec non aliis plurimis longâ ſuâ ſerie ſibi invicem in Eccleſiâ, Scholis & politiâ Judaicâ ſuccedentibus: ex. gr. LXX. Senioribus, Sacerdotibus, Levitis, prophetis: donec, cum alterâ vice populus electus captivus in durisſimam utramq; captivitatem & Asſyriacam & Babylonicam abducerentur, alteram eandem, ſicq; duriorem dirioremq; cladem pasſa eſt primæva hæc lingva.

Ætas III. Circa qvæ tempora adeò incipit tertia Ætas, *Senectus ſcil.* ejus literaturæ, atq; protenditur usq; ad natum Mesſiam, Servatorem mundi, ſive potiùs vaſtationem Urbis Ieroſolymæ totiusq; politiæ Judaicæ. Qvâ de συλλήβδην atq; paucisſimis ſic porrò nunc habendum. Nimirum cùm, (ut modò partemq; diximus) primùm per Salmanasſerem regem Asſyriorum decem integræ tribus regni Iſraelitici in Asſyriam vicinasq; regiones, & in locum eorum vicisſim coloniæ diverſarum gentium populorumq; deducerentur, mutationem hanc inſignem ſubſecuta eſt confuſio & lingvæ & religionis utrobiq;, ita ut hac occaſione in his terris, Paleſtinâ & locis qvibusdam Asſyriaci regni, inter populum captivum variè eadem inqvinaretur ἰδιώμασι variis & lingvis peregrinis, maximè verò Asſyriacâ, unde ſecundùm qvosdam (minimè verò) hac ratione enata ſit lingva Syriaca: cujus tamen nos natales ſuprâ ad Aram, Semi filium, meliore multò jure retulimus: niſi ita vicisſim hac de re atq; potiùs ſtatuere velimus: unam hanc, modò prognatam, fuisſe ex ſex Syriacæ ſuprà recenſitis dialectis.

lectis, qvæ hac, dico, occaſione datâ noviſſimè ex commiſtione lingvarum Aſſyriacæ cum Judaicâ exorta ſit.

Ita ergò intra novas redacta anguſtias lingva Ebræa (decem ſcil. tribubus Iſraeliticis abductis) regni Judaici, atq; nimis valde denuò coanguſtata; pura atq; virgo nihilominus ibidem permanſit: qvanqvam & hîc fixam ſedem diu retinere non potuit. Subſecutâ enim circiter poſt annos centum veſtàtione regni Judaici qvoq; ejecta iterùm mox fuit in exilium Babylonicum; ubi ita obſcurata & depravata fuit, aut, ut rectiùs dicam, in tam perexiguas & minutas redacta fuit mox anguſtias, (qvemadmodum mox dicetur fuſius) ut nunqvam tam clarè aut longè lateq; diffuſa hæc, ſicut anteà, radiaret. Etenim poſteaqvam apud ignobile & promiſcuum vulgus, qvod ſub jugo duriſſimo captivitatis Babylonicæ conſtrictum detinebatur (ſicut & ſolutâ hac) obtineret illa lingva, qvâ perſonabant omnia, & qvâ hoſtes & adverſarii Judæorum ad ipſos loqvebantur, ſincera & incorrupta permanſit tantùm in Capitibus & apud primores (qvos D D. Ebræorum אנשי הגולה *Capita Captivitatis* vocant) apud Prophetas nimir. & principes viros Sanhedrii ſive Synagogæ magnæ, qvales fuerunt ſucceſſivè v. gr. Daniel, Aggæus, Zacharias, Maleachi, Esdras, Nehemias, zorobabel, Jehoſua & qvidam Schimeon, cognomento hazzaddik i.e. juſtus. Qvem qvidem poſteriorem Galatinus malè confundit cum eo, cujus Lucas Evangel. facit mentionem, & qvi Chriſtum ulnis excepit in templo Jeroſolymitano, de qvo deinceps infrà paullò. Unus enim, ut ex parte jam indigitatum, hic Schimeon fuit ex reliqviis Virorum Synagogæ

magnæ, qvi fuerunt numero CXX. A qvibus, inqvam, atq; aliis ſimilibus politioris literaturæ diviniorisq; ſpiritûs Viris à pleno interitu vindicata ſic eſt lingva primigenia, collectis redactisq;, maximè ab Eſra, ſecundùm plurimos, in unum corpus, Moſi & Prophetarum cæterorumq; Sacrorum Scriptorum in hac lingvâ diſperſis hinc & inde libris: ac qvibus item communiter adſcribuntur *Variantes Lectiones* ipſæ ſive קרי & כתיב *Lectum & Scriptum*, ut vocant, vel aliter nonnihil, juxta alios, *Correctiones Sapientûm* in textus σφαλματώδεις Codicis V. Inſtr. ab ipſis inſtitutæ. In qvibus, inqvam ergò, Codicis Sacri libris ſolis (minimè v deinceps in Talmudiſtarum aut Rabbinorum aliorumq; cœnoſis & putridis lacunis) pura & illibata, per DEI gratiam, ſingulari circa eos providentiâ, adhuc asſervatur & cuſtoditur hæc lingva, ac per DEI etiam favorem propagabitur absq; dubio eadem ad finem usq; mundi. Apud cæteram verò promiſcuam plebem obtinuit, (ut ex parte modò ſuprà qvoqve monuimus) & vernacula huic eſſe cœpit (eliſâ adeò nonnihil atq; repudiatâ qvoad, uſum qvotidianum & communem, maternâ Ebræâ) mixta ſic qvædam lingva atq; inflexa paullò à puritate lingvæ ſanctæ ad vicinum Chaldæo-Syrorum ſermonem: qvemadmodum idem colligere licet ex ſermone vocabulisq; nonnullis fœderis novi Græci inſititiis, qvibus Chriſtus atq; Apoſtoli utpote tunc temporis vernaculis ipſis, uſi ſunt. Qvanqvam interim, hoc dum dico, illud asſeverare, non auſim, vel planè fuiſſe ignotam primævam maternam indoctæ rudiq; plebi, vel à pluribus potisſimisq; ſaltim non intellectam, nec item inter ſacra & in negotiis gravioribus publicisq;

eisq́;, qvæq́; ad rem Eccleſiæ aut politiæ pertinuerunt, non adhibitam fuisſe. Minimè: cùm potius, dico, contrarium è novo Inſtrumento, atq́; præſertim ex Actuum Apoſtolicorum libro, & teſtimonio D. Pauli conſtet. conf. ſaltim *ll. Job. V,39. & Act. XV,21.* alia.

Deniq́; anteqvam & hac ab Ætate decedamus, etiam hoc ſilentio per omnia involvendum non eſt, præter Vindices asſertoresq́; ſuprà laudatos harum literarum, Prophetas ſc. & Viros Sanhedrin, laude dignum aliqvid præſtitisſe, atq́; ſic ſuppetias aliqvo modo huic literaturæ, licet per indirectum qvidem & in vicina lingvâ, qvid? viciniſſimâ, ferre conatos fuisſe המתורגמנים id eſt, expoſitores, ſive potiùs auctores *τῶν Targumim*, qvæ vocant Ebræi, h.e. *Paraphraſeon Chaldaicarum* in V. Inſtr. libros. Poſteaqvam enim, ut modò atq́; iterùm iterumq́; dictum, ſolutâ captivitate Babylonicâ, apud promiſcuam plebeculam indoctumq́; vulgus Judæorum, Ebræa lingva, antè eidem vernacula (qvæq́; in ſolis Sacris libris jam & inter eruditos in ſcholis & ſynagogis ipſorum ab eo tempore pura & incorrupta ſervabatur) in deſvetudinem, qvoad uſum communem, magis magisq́; veniret, reperti fuerunt, qvi in gratiam indoctæ plebis, ſacros libros in Chaldaicum vicinum idioma aliqvoties transferrent. De qvarum Paraphraſeon primis auctoribus, numero, auctoritate atq́; indole ſingulorum, aliisq́; ſimilibus non noſtrum eſt neq́; loci etiam hujus prolixè velle disſerere, maximeq́; vel ideò inter alia, qvod res æqvè apud omnes expedita non ſit. *Onkelus* qvidem *Ger* (qvi & aliis *Uncalus* vel *Apqvelos &c.*) indubiè ſcripſit in Thora ſive libros Legis qvinq́;, ſtylo qvidem terſo

ſatis

ſatis atq; puro, ac literalis idem maximè eſt, i.e. qvi κατὰ πόδα contextum ſeqvitur. Ante hunc qvidam alius *Jonathan Uzielides* ſive *ben Uziel*, primus & doctiſſimus inter LXX. Hillelis ſenioris diſcipulos, etiam ſcripſit, ſed in Prophetas priores & poſteriores, ſtylo nonnihil liberiore, & qvi lectorem à verbis textus ad allegorias ac ſimilitudines magis abducit: Commentatoris ſic qvoq; potiùs, qvàm paraphraſtæ nomen obtinet. Incerti verò atq; magis dubiæ fidei auctores ſunt hi duo: nempe *R. Joſeph* cœcus vel certè luſcus, & *R. Akilas*, qvorum (alterutrius nempe) ſunt juxtà plurimos Targumim illa in Hagiographa, i.e. Pſalmos, Jobum, Proverbia &c. Item illi, incertiores adhuc nempe, (qvicunq; ſint,) auctores Targum Hieroſolymitani, partialis illius, atq; in Meghiloth qvinq; ſive libellos parvos, Cantic. Canticorum, Ruth, Threnos Jer. Eccleſiaſten & Eſtheram &c. Horumq; Scriptorum vel ideò heîc etiam eoq; libentius, (circa tertiam nempe ætatem lingvæ Eberinæ) mentionem facimus, qvod γνήσιοι & potiores auctores eorundum Onkelus & Jonathan vixerunt adhuc ante vaſtationem Jeroſolymorum & politiæ Judaicæ, licet non uterq; ante natum Chriſtum.

Poſtremò etiam alii qvidam harum literarum, ſuæq; item religionis, Vindices asſertoresq; hac adhuc ætate circa ejusd. finem ſcripſerunt claruerunt q;: v. gr. *Ben Sira*, cujus *Proverbia* extant hodie adhuc, qviq; putatur fuiſſe nepos Jeremiæ: *LXII. Interpretes Græci*, qvi auſpiciis Ptolomæi Philadelphi, Ægypti regis, adornarunt verſionem Græcam V.T. qvæ vocatur hodie adhuc LXX. (numero rotundo) *Interpr. Verſio*, ſi modò hæc noſtra

ſic

ſit illorum. *Jeſchua ben Syrach*, autor libri apocryphi, qvem vocant *Eccleſiaſticum*. Porrò *Kanab aben Gadur*, autor *Kene binah*, q. dicas: *Compara ſcientiam*, libri Cabbaliſtici vetuſtisſimi, cujus freqvens fit apud Talmudicos mentio. *Hillel hazzaken*, i.e. ſenex, qvi & נשיא fuit ſive ſummus præſes Sanhedrii paullò ante natum Mesſiam per integros XL. annos: ſatis etiam celebris, immò celebratisſimus Doctor apud Talmudiſtas; auctor hic בֵּית הִלֵּל h.e. *domûs* vel *ſectæ* notisſimæ illius *Hellel tica*, cui opponitur בֵּית שַׁמַּאי *domus Schammeaj*. Item *R. Nechonja, ben hakkana*, autor libri item antiqvisſimi Cabbaliſtici *Bahir*, qvi tractat de profundisſima Judæor. Cabbalâ (Lege orali eorund. qvâ de alibi) & myſteriis divinor. nominum. Atq; hi fere Dd. ſcriptoresve potisſimi ante natum Mesſiam floruerunt. Poſt hunc porrò fuerunt præſertim, v.gr. *Rabban Schimeon, ben Hillel* ſive Schimeon primus, cognomento Juſtus, qvi procul dubio is jam fuit, cujus in N. Inſtr. apud Lucam ſit mentio, & qvi Mesſiam ulnis excepit. Cui conjecturæ favet, qvod hiſtoria Judaica ejus laudes ſolas præterit, qvas alioqvi diligentisſimè in ſingulis poſteris & majoribus Hillelis ſenioris, qvo de ſuprà, proſeqvitur. Porrò *Philo*, Judæus Alexandrinus. Deniq; Flav. Joſephus & ipſe Judæus, & celebris ille Judæorum hiſtoricus: qvi, poſtremus, hac qvidem ætate, claruit ſub Veſpaſiano & Tito, Imperatoribus Rom. tempore excidii Jeroſolymitani atq; veſtatæ politiæ Judaicæ.

Qvarta deniq; ſic atq; ultima ætas (*decrepita* ſcil. *Senectus*) illa fuit, qvæ ab excidio Jeroſolymitano usq; ad hæc noſtra tempora protenditur. Ætas qvidem ea *Ætas IV.*

E ſatis

ſatis dura & exitioſæ huic literaturæ ob graviſſimas exilii calamitates ab eo tempore ejus gentis, quæ hoſpitium hactenus præbuerat huic lingvæ: at enim circa cuſp- ſinem tamen novas qvasdam q. vires ſumpſit ſenſim, non ſecus atq;, fieri nonnunqvam etiam ſolet in rebus naturalibus, neci ſuæ jam vicinis. De qvà, inqvam, poſtremo loco nunc paucisſimis. Jam, confectaq; [illegible] tandem fabula fuit hunc fere in modum. Poſteaqvam ex juſto & ſeveriſſimo Dei judicio immineret populo Judaico & locis Palæſtinæ hora ea atq; fatum ſupremum, qveis Urbe Jeroſolymorum dirutâ & politiâ Judaicâ penitus everſâ & pesſundatâ, Judæi captivi hinc & inde ducerentur, ac toto terrarum orbe diſpergerentur, fieri utiq; non potuit, ut à totali ſua ruinâ in populo hoc qvidem amplius conſervaretur perſeveraretq; lingva hæc. Sed, qvæ inter Capita adhuc modò ſive primores politiæ Judaicæ, nec non eruditos fortè in ſcholis & ſynagogis pura ſarta tectaq; ſervabatur, expiravit tunc penitus, qvoad familiarem inter eos uſum, atq; ſemel & ſimul omnis humanitas & literatura reliqva, unâ cum cultu religionis, in exilium ire demigrareqve juſſa ſunt. Ac licet qvidem ſuccedentibus temporibus reliqviæ qvædam Judæorum, in locis nonnullis commodioribus Palæſtinæ, nec non poſteà Babylone, nominatim verò hic Nehardeà, Sorâ & Pambedithâ, illic verò in Jafne, Tzephoriâ, Cæſareâ & Tiberiade, domus qvasdam ſcholarum ad exercenda & imbuenda liberalia ingenia humanioribus literis, inſtituere & inſtaurare anniſæ ſunt, umbræ tamen hæc vix ſpecies habuerunt, immò ne vix qvidem umbræ, præ clarâ ſc. illâ luce ſuperiorum ætatum. Atq;

[illegible]

Iidem porrò Judæi vindicesq; non vindices, literarum harum in locis illis, ſæpiuſcule conturbati, diſtracti & impediti fuerunt, & ſcholæ eorundem ſæpenumero magnas paſſæ eclipſes ſunt: donec præſertim circa annum partæ ſalutis noſtræ cIↄ XXXVII. prorſus ibidem qvoq; (in Babylone) fuerunt abolitæ, ſapientibus ipſorum in Hiſpaniam aliasq; partes his noſtris vicinas profugis: qvanqvam ſemel atq; iterùm ex illis qvoq; locis (ex cauſa, ex Hiſpania, anno circiter cIↄ CCCCXCII.) totaliter, ad tempus certum, deturbati, exterminati & in exilium ire coacti ſunt.

Enim certè verò non defuit tamen & interea conatus, nec deſtituit labor, ut ſic dicam, improbus Judæos nonnullos è fugitivis, eorundemq; poſteros, ferendi ſuppetias vel qvalescunq, ac qvocunq; modo literaturæ huic, etiam hac ætate poſteriore: ut ut voto qvidem ſuccesſus non æqvè ſemper & ubiq; reſponderet, ſed aliàs minùs, magis aliàs, res ſuccederet. Ab anno ergò Chriſtiano LXXI. h.e. ab anno excidii Jeroſolymorum primo, usq; ad annum æræ item noſtræ Iↄ mediocris fuit numerus, nec is qvidem minimè futilis aut contemnendus, Judæorum doctiorum in locis ſuprà adductis: qvorum in vindicanda literaturæ ejus, (qvæ in Libris ſacris unicè tunc & nunc ſana & ſalva continebatur, continetur,) veritate & puritate præcipuum & maximum ſtudiũ poſitum erat. Memoratu dignus heic eſt omninò atq; ante omnia, nec temerè reprehendendus à qvoqvã, labor verè herculeus & ſtupendus maximè *Judæorum Tiberitarum* ſive *Tiberienſium*. qvem in vindicandâ conſeqventer lingvæ originalis, maximè verò Verbi div: ſcripti Veteris qvidem fœderis, puritate adhibuerunt,

(qvanqvam qvidem omnium ſuper hac re mens eadem non ſit) qvi, qvicqvid interim ejus ſit, apud Tiberiadem Palæſtinæ ipſi convenerunt anno æræ noſtræ CCCCLXXV circiter, atq; de novo & incredibili ſane ſtudio ac diligentiâ contulerunt exemplaria Bibliorum (qvotqvot eorum nimir. nanciſci tunc poterant qvidem) obſervatis denuò numeratisq; eorundem non commatibus ſaltem ſingulorum librorum verbisq; ſed etiam ſingulis literis apicibusq;: recognitis item lectionibus variantibus, qvas vocant, texualibus, marginalibus. Qvi labor ſacer ſuperioribus jam temporibus, qvocunq; vel illo, cœptus propagatusq; in Tiberienſes laudatos vulgò eſt: & verè qvidem vocatur *Septum* (סְיָג לְתּוֹרָה) vel *Sepimentum Legis*, qvod Cuſtos q. tutor & vindex certiſſimus idem ſit ſacrarum paginarum, nec non literaturæ ipſius Ebrææ, in his reſiduæ; qvi ab omni ſcil. internecione & interitu penitus deniq; atq; in poſterum ſervet hæc utraq;. Communi nomine, vel proprio potiùs, aliàs vocatur idem מָסוֹרָה *Maſorah* vel מָסוֹרֶת aut מַסּוֹרֶת *Maſoreth* vel *Masſoreth*, & auctores ipſi ejusdem בַּעֲלֵי מְסוֹרֶת הַמְּסוֹרָה

Porrò intra idem temporis ſpatium, (annorum nimir. ſuprâ dictorum qvingentorum) præciſè ab an. CL. usq; ad Iↄ cudi etiam cœpit atq; compilari (cujus meminiſſe etiam h.l. fortè non abs re fuerit) *Talmud* h.e. Corpus doctrinæ Judæorum, utrumq; ſcil. Jeroſolymitanum & Babylonicum, illud nempe qvod ſtylo impuriore primùm in gratiam Judæorum in terrâ Iſraëlis adhuc ſ. Palæſtinâ, hoc v. qvod ſtylo nonnihil puriore pro Judæis in Babylone & alibi terrarum viventibus conſarcinatum fuit ab iisdem hunc fere in modum, ut com-

compendio rem edisſeramus. Anno æræ ſalutis noſtræ CL. *R. Jehudah*, (filius Rabban Simeonis,) qvem Judæi vocant *Rabbenu Hakkadoſch*, cum videret ſapientiam Judæorum per calamitoſum illud exilium facilè posſe penitus oblivioni tradi, decreto totius Judaicæ Synodi, nec non auſpiciis Imperatoris Antonii Pii, qvi eo Judæo familiariter utebatur, Legem oralem, qvam Cabbalam Judæi vocant, in variis ſchedis & libellis fruſtillatim jam deſcriptam, ac Legis prætereà ſcriptæ prophetarumq́; explanationes & ſcripta omnia, qvotqvot cæteri D. D. Judæorum tum antè tùm poſt Chriſtum ad ipſius usq́; ætatem ſcripſerant, collegit, & in unum Volumen ſex partibus diſtinctum redegit, qvod מִשְׁנָה *Miſchna* ſeu *iterata Lectio* ſ. Δευτέρωσις, q. dicas Poſt-Lex ſ. Lex ſecundaria nuncupatum fuit. Hic Liber deinceps in ſcholis Judæorum publicè prælectus fuit, & variis DD. diſputationibus atq; interpretationibus vicisſim illuſtratus, adeoq; auctus in tantum, ut inde primò confectum fuerit, *Talmud Jeroſolymitanum* & poſtea *Babylonicum*, uti mox dicetur. Nam anno Chriſti CCXXX. *R. Jochanan*, ex tribu Joſeph, caput Synagogæ in terrâ Iſraelis per integros octoginta annos, asſumptis ſibi qvibusdam Collegis, Miſchna & Commentaria alia, ſuprà indigitata, itemq; in Miſchnam, qvotqvot eorum habere potuit, in unum collegit volumen, & ſic *Talmud Jeroſolymi* pro Judæis in terrâ Iſraëlis adhuc reſiduis confecit abſolvitq́; Porrò, anno Chriſti CCCLXVII. *R. Aſſe*, & poſt hunc paullo anno CCCCLXXIV. *Rab Avina* præſertim omnes ſuperiorum commentarios in unum redigentes vicisſim *Talmud Babyli* ſive *Babylonium*, qvo nunc tota Judæorũ regitur ſynagoga, contexuerunt. Cæterùm ille (Asſe)

morte præventus qvandoqvidem non abſolvere potuit idem: ideò ut dictum ex parte, *Mar* filius ejus, cum qvodam *Mare Mar* & dehinc ſuprà nominatus *Rab* [illegible] præſertim operi colophonem impoſuerunt. [illegible] dem Talmud univerſum abſolutum obſignatumq; eſt, h. e. communi totius Synodi Judaicæ conſenſu & authoritate receptum fuit, ne poſthac præterea aliqvid eidem adderetur aut detraheretur: qvod factum anno Servatoris noſtri Iↄ.

Sed & porrò, præter ſuprâ modò allegatos autores Corporis Talmudici nec non Maſorethas, Ebræorum Criticos illos, qvi in vindicandis literis noſtris, de qvibus impræſentiarum, ſtudium ſuum collocarunt, etiam hi ordine Sapientes Judæorum (ab anno ſcil. epochæ noſtræ LXXI. h.e. à vaſtatis circiter Jeroſolymis primo uſq; ad annum Iↄ) floruerunt, inclaruerunt, atq; [illegible] *μῖγος* qvaſi ad easdem in medium protulere contuleruntq;: hi nempe ſeqventes: primò *R. Elieſer*, qvi vixit paulò poſt vaſtatam Jeroſolymam, nimir anno Chriſti LXXV. atq; ſic qvinto poſt excidium politiæ Judaicæ. Hujus ſunt פִּרְקֵי אֱלִיעֶזֶר *Capitula Elieſer*, liber celebris, complectens hiſtoriam mundi usq, ad auctoris tempora. Porrò *R. Akiſa*, qvi putatur eſſe autor libri famigeratisſimi Cabbaliſtici יְצִירָה h.e. *Creationis*. Hinc *R. Schimeon ben Jochai*, cui tribuitur celeberrimus liber item Cabbaliſticus זֹהַר *Zohar* commentarius in Legem ſatis perfectus. It. R. *Nathan, Babylonius*, cui tribuuntur פִּרְקֵי אָבוֹת id eſt, *Capitula Patrum*, qvi liber integer in ſertus reperitur Corpori Talmudico. R. *Joſe, ben Chilpetha*, cui tribuitur כֵּדֶר עוֹלָם רַבָּא *Chronicon mundi majus*, qvo continetur hiſtoria mundi usq; ad annum Chriſti circiter Iↄ: atq;

adhuc

adhuc alii qvidam pauci: è qvibus non prætereundus R. *Abba, bar Nachmani*, qvi vixit circa tempora ſalutiferi partus, CCC, & qvi ſcriptor abſolutè Ebræis dicitur *Rabba*, atq; autor eſt *Ralbos*, i.e. Voluminis continentis qvinq; gloſſas majores in Thora, videl. *Breſchith rabba*, *Veelle ſchmoth rabba*, *Vajikra rabba*, *Bemidbar rabba* & *Elle babdebarim rabba*: qvæ gloſſæ apud Judæos magnæ ſunt auctoritatis.

Porrò ab anno Chriſti Iↄ. atq; ſic poſt obſignatum Talmud, usq; ad annum cIↄ ejus æræ diuturnum fuit ſilentium doctorum Virorum inter Judæos, ac minus claruerunt ſapientes eorum: atq; hoc ob gravisſimas exilii eorum calamitates & varias injurias alias. Si qvi tamen fuerunt inter ipſos, qvi aliqvid ſcripſerunt, ii ambitionis vanæ œſtro perciti varias inter ſe contentiones & rixas exercuerunt, atq; in Talmud pauca qvædam commentati ſunt, præterito Canone ſacro, ſicut & literaturâ Ebræâ.

Deniq; paullò poſt milleſimum à Meſſiâ annum facta fuit παλιγγενεσία q. qvædam literarum inter illos, ſive qvod idem eſt, ſtudia literarum paulatim renaſci inter ipſos cœperunt, & Sapientes eorum publicè viciſſim inclareſcere. Inter qvos ab eo tempore primi facilè fuerunt, hi qvi ſeqvuntur: R. *Chananeel* & *Raf Niſſim*, præceptores R. *Nathanis*, autoris Lexici Chaldaici & Talmudici *Aruch*: deinde R. *Jehudah Chiug*, *Feſſanus*, primus Ebræorum Grammaticus. It: R. *Jona Gerundenſis*, itidem celebris eorundem Grammaticus. Porrò *Rabbenu Gerſom*, qvi dictus fuit lumen captivitatis, & *R. Schlomo ben Gavirol*, & R. *Moſche Haddarschan*, præceptores R. *Schlomonis Jarchii*, præſtantisſimi illius omnium, in ſuo genere,

nere, & qvi cæteris facilè præfertur, Interpretem, qvi in
integra Biblia & Talmud ſere & ipſum integrum haud
indocta ſua commentaria conſcripſit. Porrò ipſe *R. Na-
than* ſive *Baal Aruch*, autor Lexici ſupra dicti *Aruch*. Et
ſic deinceps alii à milleſimo poſt Chriſtum anno, à
qvo tempore nimir. pleriq;, qvi hodie habentur, libri
prodierunt: qvos longum nimis foret prætereà recenſe-
re velle omnes h.l. Nos nihilominus præcipuos tamen
eorum addemus, breviſſimisq;, & qvi reliqvis palmam
præripere videntur. Seqvitur ergò *Jarchium* illum, (ab-
breviatè qvi רש״י *Raſchi*) פַּרְשַׁנְדָּתָה i. e. Interpretem,
κατ' ἐξοχὴν ſic dictum, Legis nimirum, natione Gallum
genere Judæum, item R. *Nathanem* autor incertus & ano-
nymus, cujus eſt *Seder Olam Suta* h. e. Chronologia mi-
nor Ebræorum. Porrò *R Abraham Aben Ezra*, abbre-
viatè ראב״ע, *Raba*, Hiſpanus natione, inſignis in ſuo ge-
nere theologus & philoſophus: cujus nomen proprium
aliàs eſt: R. *Abraham bar* Rabbi *Meir ben Ezra:* ſcripſit
item docta commentaria in integra Biblia: vixit anno
cIↄ C XLV. R. *Becbai, hazzaken*, i. e. ſenex. R. *Benjamin
bar Jona*, autor Itinerarii, qvod inſcribitur: מסעות ר
בנימין *Profectiones* R. *Benjamin*. Circuivit hic Rabbi pe-
nè univerſum mundum, & res memorabiles omnes,
qvas vidit vel audivit in eo libello conſcripſit. Liber in 8
8vâ, Latinè redditus per B. Ariam Montanum, ac multa
in illo recenſentur fide majora. Poſt hunc ſeqvitur R.
Moſche ben Majemon, albreviatè רמבם *Rambam* filius, qvi
& *Moſes Ægyptius*, & à Judæis vocatur *Aqvila magna*, ac tan-
tam docendo ſibi laudem comparavit, ut de eo tritum
ſit hoc: ממשה עד משה לא היה כמשה *à Mose* (ſc.
Propheta) *usq; ad Moſen* (nimir. hunc Ægyptium) non

fuit

fuit ſicut iſte Moſes. Ejus plures ſunt libri: ex. gr. *Commentarius in Miſchnajoth*, יד ſive מִשְׁנֵה תּוֹרָה q. d. Poſt-Lex ſ. Devteronomium: eſtq; Compendium Talmudicum: item מוֹרֵה נְבוֹכִים *Doctor perplexorum*, aliiq;. Hunc excipiunt ferè *R. David* & *R. Moſche Kimchi:*, fratres, ambo doctisſimi Ebræorum Grammatici: qvorum illius eſt *Michlol*, liber Grammaticus & Lexicon ſimul. Porrò *R. Moſche bar Nachman, Gerundenſis*, Hiſpanus, qvi item dicitur uno verbo ſive abbreviatè רמבן *Ramban*, item Moſes Gerundenſis & Gerundenſis κατ' ἐξοχὴν: ſcripſit *Medraſch* ſ. Commentarium vagum in V. libros Moſis. Poſt hoſce numerantur *R. Iſaac ben Sid:* cujus ſunt tabulæ Aſtronomicæ Alphonſinæ: & *R. Moſche aben Taſon* ſ. *Tibbon:* qvi Euclidem ex Arabico in Ebræum idioma vertit. It: *Rabbenu Aſcher*, הרא"ש *Haroſch* dictus: Criticus Ebræorum occidentalium inſignis, qvem in Bibliorum expoſitione & vocabulis controverſis Judæi occidentales ſeqvuntur, ſicut orientales ſeqvuntur lectionem *R. Jacob bar Naphtali.* Illius ſunt *Compendia Talmudica*, qvæ ſingulis libris in formâ theſium aut concluſionum univerſalium ſubjiciuntur. Item, *R. Bechaj.* qvi LL. communes theologicos q. ſcripſit, ſub titulo כַּד הַקֶּמַח *Cadus farinæ.* Et *Rabbenu Jaacob ben Aſcher*, qvi compoſuit librum אַרְבַּע טוּרִים i.e. *Qvatuor Ordines*: liber Juridicus & ritualis, magnæ autoritatis apud Judæos, *R. Levi ben Gerſom*, abbreviatè רלבג *Ralbag*, *Don Meir. R. Iſaac*, aliis Mordechai, *Nathan*, autor notisſimus *Concordantiarum Ebraicarum*, qvas ad imitationem Latinarum conſcripſit, ſub titulo מֵאִיר נָתִיב *Illuminans viã*, an. circiter cIↃ CCCCXXXVIII. *R. Abraham Hannaſi*, Aſtrologus vanus, qvi prædicere voluit adventum Mesſiæ, anno cIↃ CCCC LXIV. *R. Abdias*, à qvo Joh. Reuchlinus, aliàs Capnio, J. C. Romæ lingvam S. addidi,

 di,

dicit pro ſingulis horis ſingulos aureos pendendo ipſi. R. *Jocha van Alleman*, præceptor Pici, Mirandulæ Comitis. R. *Abraham Zachus* ſive *Zachuth*: cujus ſunt *Ju[illegible]* h.e. [illegible] ſapiarum liber. *R. David ben Jechaja*: grammaticus. [illegible] *Iſaac Abarbinel*. qvi in univerſa V. Inſtr. Biblia & multos alios libros ſcripſit. *Abraham de Balmes*: grammaticus. *Elias Levita*, *Aſcenaz*, cognomento ipſe הַמְּדַקְדֵּק i.e. *grammaticus*: qvi Chriſto nomen dedit, (temporibus circiter Megalandri Lutheri) adductis ſecum aliis XXX. Judæis ad baptiſmum ſuſcipiendum. *R. Salamon Urbinat*, autor libri אֹהֶל מוֹעֵד, *Ohel Moed*, Synonymorum in Bibliis. Denique anno cIↄ Iↄ LXX. *R. Moſes Corduarius*, autor *Par[illegible]-nim*: & anno cIↄ XC. *R. Selomon baddarſchan*, i.e. *Con[illegible]-nator*: cujus etiam ſunt Commentaria in tota Biblia ex variis autoribus collecta: atq; adhuc alii qvoq;. Ex quibus ſingulis Optimi ſunt, qvi in integra fere Biblia commentati ſunt, v.gr. *R. Selomon Jarchi*, præcipuus: *R. Abraham Aben Eſra*, *R. David Kimchi*, *R. Moſche bar Nachman*, Gerundenſis. *R. Levi ben Gerſom*, *R. Iſaac Abarbinel*. Ex Grammaticis v. ſive Philologis Ebr. primò *R. Jehudah Chiug*, *Feſſanus*, primus Ebr. grammaticus, & *R. Jona*, Gerundenſis: poſtea *R. Nathan* ſive *Baal Aruch*, *R. David Kimchi* & *R. Moſche Kimchi*, fratres, *R. Iſaac*, aliis Mardochai, *Nathan*, *R. David ben Jechaja* & *Abraham de Balmes*, &c.

Atq; hi adrò fuerunt potiſſimi ac nobiliores ſapientes Judæorũ, ac talis qvalis facies rei literariæ Ebrææ inter populares ſuos, usq; ad hæc fere tempora noſtra. Satis qvidẽ ea tenuis & ſubobſcura, ſi ad claram illam lucem ſuperiorum Ætatum paululum eam conferas: imprimis verò ſi conſideremus paucitatem eorum, qvi intra tot (nimir. plusqvàm qvindecim à Chriſto nato) ſecula aliqvid digni

in

in medium protulerunt,ſive in Biblia S.ſive aliàs in re lite-
raria propriâ domeſticâq; : maximè v. ſi item penſitemus,
qvàm in paucorum (immò ne vix qvidem unius) hinc &
inde evulgatis libris pura & incorrupta omninò lingva
Ebræa reperiatur. Enimverò, hæc,ut dictum, facies ejus
literaturæ inter Judæos & apud populares ſuos. Non me-
liora multò, immò verò pejora fata habuit eadem inter
Chriſtianos & noſtræ religionis homines hac ætate poſte-
riore,ſuperiùs ſcil. notatâ:utpote apud qvos inde à πανολε-
θρίᾳ eâ totius populi & regiminis Judaici nullo fere non
tempore in tanto odio fuerunt Judæi, ut propterea qvoq;
ipſorum lingva vilipenderetur,nec esſent à qvibus per an-
nos plus mille à Chriſto nato ea excoleretur : ſi u-
num, inqvam, atq; alterum tantùm excipias: nimirum
Originem Alexandrinum, qvi à Judæo qvodam Huillo non
ſine moleſtiâ& publicâ Celſi, adverſarii ſui,exprobratione
hanc lingvam didicit. *Hieronymus* qvoq; *Stridonenſis*,mo-
nachus & presbyter, Bethlehemi hanc lingvam addidi-
cit, idq; nocturno maximè tempore à Judæo qvodam,po-
pulares ſuos metuente, cui Barnabæ nomen erat: unde
etiam Rufinus, Aqvilienſis Eccleſiæ presbyter, ex amico
ejus inimicus infenſisſimus factus, calumniæ publicæ oc-
caſionem ſumſit, eidemq; objecit, qvod Chriſto dimisſo
Barnabam ſeqveretur. Ille v. Hieronymus ſuisq; deq; ha-
bens iſtam calumniam ſtrenuè nihilominus perrexit,mul-
tasq; religioſas virgines hanc lingvam docuit, ut Pſalmos
Ebraicè canerent. Poſt Hieronymum (qvi claruit anno
CCCLXXXV. circiter) *Johannes Damaſcenus* qvoq;,qvi vi-
xit anno IↃCCXXX. è Judaiſmo fuit converſus: & *Nicolaus
de Lyrâ* Anglus,anno cIↃCCC Ebraicè fuit egregiè doctus.
Tandem *Paulus de S.Mariâ*, epiſcopus primò Carthagi-

nenſis, poſtea Burgenſis, unà cum filio ſuo *Alphonſo*, J. U. D. Decano Compoſtellano, etiam ex Judaiſmo ad Chriſtianiſmum converſi fuerunt.

Atq; hæc ferè ſterilis ea fuit ſeges Virorum Ebraicè doctorum omnium penè & ſingulorum inde à nato Servatore mundi usq; ad annum æræ ejusd. cIↄ CCCCXL, vel L. Ex qvâ, neſcio, an dicam veriùs, piâ & ſimplici qvodammodo ſuperſtitione, an ſupinâ qvadam negligentia, evenit poſtmodùm ſuccedentibus temporibus illud, ut ex malè vel planè non intellecto vero ſenſu verborum Scripturæ S. ac corruptis depravatisq; hinc & inde Verſionibus Veteris Codicis Verbi divini, craſſa illa ignorantia & horrendæ tenebræ Papales Eccleſiæ ingruerent, eandemq; duriter vexarent ſatis. Adeò enim hæc lingva vel antehoſce circiter ducentos adhuc annos (ſicut & Græca ipſa, maximè tamen Ebræa, ut de cæteris Orientalibus nihil qvicqvam heic dicam) exulatum ivit, ut cupidum aliqvem ejusdem aliqvot Academias peragrare oportuerit, anteqvâ literas ſ. elementa prima ejusdem ſaltem addiſceret. Cujus pronunciati veritas aliqvâ ex parte elucet, in exemplo ſuprà adducto magni illius Reuchlini, qvi deſtitutus omnibus aliis adminiculis, ab Apellâ Judæo qvodam, Abdiæ cui nomen, Romæ hanc lingvam addidicit, pro ſingulis horis ſingulos aureos eidem pendendo. Notumq; eſt inter alia pronunciatum Melchioris Cani, Pontificii Scriptoris, de Sorbonicis, (in Pariſienſi Academia) Doctoribus, in eo ſibi nimium qvantum blandientibus, qvod ſcil. aliqvot jam ſeculis integris lingvarum Ebrææ itemq; Græcæ peritiam nullam habuerint. Memorabilem tandem vel lepidam potiùs hiſtoriolam inter alia qvoq; memoriæ prodidit celeberrimus JCtus, Ducis Juliacenſis Conſiliarius

ſiliarius, Conradus Heresbachius, qvi ſic declamantem circiter annum æræ Servatoris clↄ Iↄ monachum qvendam audivit craſſum: *Novam repertam jam esſe lingvam qvandam, qvæ vocetur* Græca: *ab hac ſedulò cavendum omnibus: hanc esſe, qvæ pariat omnes hæreſes. Eâ lingvâ inſuper proditum librum, qvi in omnium manibus velit modò haberi, voceturq́;* Novum Teſtamentum, *qvi plenus ſit rubetis atq́; viperis. Præterea, nunc aliam qvoq; oriri lingvam, qvæ vocetur* Hebræa, *hanc qvi diſcunt, planè illos effici Judæos.* Lepidum ſanè caput & verba Viro ſancto haud indigna.

Enimverò hæc, dico, tenuis ea fuit facies atq; ſubtriſtis ſanè ejus literaturæ vel ſuperiore adhuc ſeculo fere, donec Deus ter Opt. Max. miſertus deniq; egenorum Eccleſiæq; ſuæ, (poſteaqvã poſt annum circiter clↄ CCCC XL, inventa cùm ars typographica unâ ferme esſet, atq; inſtante arduo illo reformationis opere per organa ſua electa, B. Lutherũ maximè, mirabili conſilio lingvarũ aliarũ artiũq; ſtudia itẽ ſimul eflloreſcere in Germania ſineret) donec, inqvã, excitaret Idem etiam lingvæ S. Ebrææ vicisſim, atq; ſucces ſivè reliqvarum qvoq; Orientalium, Vindices Cultoresq; alios aliosq;, qvi turbatorum ſcil. lacuum S. Scripturæ pertæſi ex fontibus potiùs eã ſuis haurire bibereq;, adeoq; & lingvam hanc ſuo priſtino reſtituere nitori, (in qvantum qvidem tùm licebat) agminatim q. (ſic dicendo) conati ſunt. Inter qvos agmen facilè ducit ſemel iterumq; laudatus, *Johannes Reuchlinus*, vulgò *Capnio* dictus Phorcenſis, J. U. D. Comes Palatinus Cæſ. nec non literarum harum, (Ebr.) in hac Academia Profesſor Publ. idemq; primus, poſteà verò Maximiliani I. Imperatoris & Eberhardi primi, Wurtenbergenſis Ducis Conſiliarius & totius Sveviæ triumvir: qvi nempe, juxta lingvam Græcam (qvam à Græ-

cis exulibus, Chalcocondila nominatim) Ebræam qvoq; à Judæis, & in ſpecie, ut ſupra jã notatum qvoq;, Abdiâ qvodam Romæ addidicit, pro ſingulis horis pendendo ipſi ſingulos aureos : atq; utramq; editis ſuis in hanc lucem eruditis ſcriptis illuſtravit excoluitq; Per qvem Virum glacie qvaſi adeò primâ fracta, atq; facto denuò rei laudatæ ſepiuſculè (literariæ Ebrææ) initio, ſeqvuti ſunt alii poſtmodum plurimiq;. Et primùm qvidē Piſauris, mox Venetiis Biblia Ebraicè ſunt excuſa ; & in Italiâ *Felix Pratenſis, Danielis Bombergi* in hâc lingvâ *Præceptor*, & celeberrimæ ipſi in Ebraicis typographiæ autor & moderator, plurimum excoluit hanc lingvam, emisſis Bibliis Ebraicis, qvæ dicuntur Veneta & Bombergiana. Et *Auguſtinus Juſtinianus*, Nebienſis epiſcopus, emiſit Pſalterium octaplum. In Hiſpania floruerunt ſecutiq; ſunt *Petrus Galatinus* : itē *Franciſcus Ximenius*, archiepiſcopus Toletanus & Cardinalis, qvi Editionem Operis Complutenſis procuravit : itemq; *Benedictus Arias Montanus*, Hiſpalenſis, qvi unà cum Collegis, adjutus munificentiâ Philippi II. Hiſpan. regis, promovit Opus Regium ſeu Biblia, qvæ Hiſpanica & Plantiniana vocantur. In Galliis hanc lingvam profesſi ſunt *Sanctes Pagninus*, Lucenſis, autor Theſauri lingvæ Ebraicæ: *Franciſc. Vatablus*, qvi *Roberto Stephano* autor fuit, & promotor, ut munificentiâ Franciſci I. Galliarum regis, elegantisſimis typis deſcriberet vicisſim Biblia Ebraica : *Johannes Mercerus* porrò, J. U. D. qvi unà cum *Bonaventura Cornelio Bertramo* & *Antonio Cevallerio* locupletavit Theſaurum Pagnini. Qvibus annumerandus etiam *Gvilelmus Poſtellus* & *Nicol. Clenardus*, qvi difficillimas peregrinationes ſuſceperunt, amore lingvæ ſanctæ & reliqq. Orientalium. In Germaniâ deniq; atq; vel maximè poſt *Capnionem*, huic lingvæ egregiam navarunt

operam

operam *B.Mart.Lutherus,Joh.Albertus Widmanſtadius,*J.C. *Sebaſt.Münſterus,Johan.Forſterus,Conrad. Pellicanus,Paulo Fagius,Henr.Mollerus,Andreas Maſius,*J.C.*Johan.Avenarius Matth.Aurogallus,El.Hütterus,Valent.Schindlerg,Bernhard. Ziglerus,Joan.Druſius,Joh.Buxtorfius,*uterq; Parens& filius, *Thom.Erpenius,Sixt. Amama,Ludov. de Dieu,Georg.Weiganmeirus,Johan.Meelfuhrerus,Chriſt.Helvicus,Wilh.Schickardus, Mart. Troſtius,* aliiq; plurimi.

Atq; hæc en tandem facies vultusq; atq; fortuna varia LL. Ebrææ & ex parte qvoq; Orientalium reliqq. Qvæ, Ebræa,adeò,συλλήβδην ac ſtrictim dicendo,Originem duxit ſuam immediatè à Deo ter. Opt. Max. ipſo, (antiqviſſima adeò eadem omnium) qvi eam unà cum ipſa animâ inſpiravit qvaſi communicavitq; primo homini Adæ: qvi porrò eandem, unam, ſolam indelibatamq; transmiſit ad poſteros ſuos,ad γλωσσοσύγχυσιν usq; illā Lingvarum univerſalē: qvo tempore, qvæ antè nativa, vernacula atq; communis erat toti generi humano,ſubſtitit in familia Eber,(à qvo& deinceps Ebrææ nomen habet)reſtricta adeò atq; in poſterum ad eos, qvi futuri eſſent populus Dei his terris, h.e. Ebræos, & ipſos inde ſic dictos,ſive Judæos vel Iſraelitas: qvibus in captivitatem Aſſyriacam& Babylonicam abductis, propter peccata ſua,immò poſt hanc etiam) in Verbo Dei ſcripto Veteris Inſtrumenti, & inter primores populi ſive Doctores Judæor.ſalva atq; incorrupta tantùm permanſit: donec hiſce,Iſraelitis ſeu Judæis,excidentibus penitùs ex gratia Dei pactisq; ejus,(deterisEccleſiâ atq; politiâ eorundē) Chriſtianis ex parte innoteſceret, Europæisq; & ipſis; ſola verò fere ipſa ſalva,ſarta,tecta puraq; atq; incorrupta ſubſiſteret in poſterum in Verbo Dei ſcripto,ſuprà nunq. ſatisq; laudato (facto ſic circulo q. qvodam entheo)

theo) Veteris fœderis ſ. Inſtrumenti: manſura quoq; in eodem, extra controverſiam, donec idẽ manebit, h. e. in æternum: adeoq; extra dubium etiam, qvâ utentur ſub finem hujus Univerſi, in altera illa vitâ cœlisq; quaſi laudabunt Deum unanimiter (conf. & v. Galatin. *de arc. cath. ver. lib. XII. cap. 3. p. m. 709.* Th. Bibliandr. *in de rat. comm. omn. ling. & litt. p. m 37. ſeq.*) omnes Electi: Cui Deo, Jehova Elohim, Uni, Trino, Maximo, Optimo ſit Laus, honor, gloria, & gratiarum actio, ab hoc & nunc & in ſecula ſeculorum ſempiterna! Amen.

Ave Pater, Rex, Creator:
Ave Fili, Lux, Servator:
Ave Pax & Charitas!
Ave Simplex, ave Trine:
Ave regnans ſine fine
Una ſimplex Trinitas!

ת״לא א״בן׃

A01 1463638